



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Venatio Sacra. Sive Puer Amissus**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Elegia XVI. B. Virgo optat, vt Iosephi instar, cum honore, Iesus redeat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70011)

Fortè sed astra terit, fortassis & altior astris,  
 Cœlite de solio iura dat alta solo.  
 Etherium ni carpat iter, vel in Iride sidat,  
 Ut superâ stertus spectet ab arce meos;  
 Eluctaus saxis, horrendoq̄ue aggere spinis,  
 Ibo tamen vel sic, quâ licet, astra sequar.  
 Ast ego queis teneam vinculis iam pendula cœlo,  
 Vt Puerum strictâ cepero forte manu?  
 Ut teneam, superisne putas decurret ab oris,  
 Quo sentâ laqueos induat exsul humo?  
 Sed quid opus teneam, tenearue sequace catenâ?  
 Omnia qui vincit, vincula nescit Amor.

(a) Orion, nimbosum sidus, quale fuit Herodis  
 stella, dux Magorum.

(b) David vrsum & leonem fregit.

### ELEGIA XVI.

B. Virgo optat, vt Iosephi instar, cum  
 honore I E S V S redeat.

O grauis angor, inabruptiq̄ue catena laboris,  
 Quem nouus alterno curfas in orbe trahit!  
 Ergo tot ærumnae fructum hunc peperere Parenti,  
 Ut lacrymas agro non nisi corde bibat?  
 Quemq̄ue domi custos tam sedula seruat Alumnum,  
 Virgo peregrino perdita perdat agro?  
 Et mihi quem florem Nasaræius educat hortus,  
 Ignarus Solymo quærat in orbe labor?  
 Sed quid ego lacrymis vanas describo querelas,  
 Et cadit e tristi multa litura stylo?  
 Quis scit, an vt Ioseph patrijs abreptus ab vlnis,  
 Externo reperit scepra beata solo?  
 Nobilitansq̄ue iugum dominâ seruile coronâ,  
 Obsequijs emit regia iura suis?

K iij

Ac gra:

Ac grauidas lacrymas scepro deterfit, & ostro,  
 Grandauo cui mors vixit acerba patri?  
 Vtque nigro luctu grauidos iam duxerat annos,  
 Læta dedit niueis currere sæcla rotis?  
 Et se iam senio seris exemit in annis,  
 Vnde bis orta nouo flore iuuenta vires?  
 An iam non itidem IESVS meus, alter Ioseph,  
 Nobilis in Pharios auolat exsul agros?  
 Inque Parætonias sub nube recurrit arenas,  
 Et latet obscuris paruulus erro plagis;  
 Vt patrios cum luce redux illustret agellos,  
 Illustretque breuem purpura clara casam?  
 O, quibus illecebris pius influet ardor IESV,  
 Obuia cui toto pectore pando sinum!  
 In gelidas rediuiua fluet mihi flamma medullas,  
 Quam toties iussit mors sine morte mori.  
 Ipse mihi tunc alter erit Iosephus IESVS;  
 Gaudia Iosepho sed meliora feret.  
 Quam mihi tum dulcis parru de cœlitate fructus,  
 Integra cui puri gloria floris, erit!  
 Antè semel natus mihi bis nascerur IESVS;  
 Sed reperiisse semel grandius instar habet.

## ELEGIA XVII.

B. Virgo implorat absentem Puerum,  
 ad se vt quantocyus iter reflectat.

**M**ater Idumæas vbi mæsta pererrat arenas,  
 Auiâ quo curas diripit aura suas;  
 Plorat, vt occurrit Pueri fugitantis imago,  
 Et mediâ sistit terque quaterque viâ:  
 Respectatque gemens circum, simul omnia lustrat,  
 Sicubi fors Gnati prauolat umbra sui.  
 Nec tam quærit amans, an mille cucurrerit aruis,  
 Quam quod ab his fortan millibus instat iter.  
 Nec numerat soles, atrove sub æthere noctes;  
 Cura sed vna Puer, sed Puer vnus Amor.

Non